



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinonis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XXVI. Vtrùm vera probabilitas dari poßit contra certum certum &
evidens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

ex ejus dictis suas sententias roborarunt; & quidem quod ad præsentem quæstionem attinet, ego nonnulla Augustini, aliorumque Patrum loca perpendi *quæst. 27. de Cons. prob.* ex quibus manifestum est, eos in particularibus casibus usum

benignæ sententiæ licitum habuisse. Plura in progressu afferam. Interim quæ hæcenus ex SS. PP. attulisti, tibi non favent, sed vel ad rem non faciunt, vel à te perperam intellecta fuisse ostendi, & Deo favente, in sequentibus ostendam.

QUÆSTIO VIGESIMA- SEXTA.

*Virum vera probabilitas dari possit contra certum
& evidens?*

Singularis
Celladei o-
pinio.

I. **N** Scholis Catholicorum hæcenus inauditum fuit, id alicui esse probabile, cujus oppositum est ipsi certum & evidens. Omnes enim ad probabilitatem, tamquam essentialissimum prædicatum requirunt, ne quidquam certum aut evidens in contrarium appareat. Celladeus tamen *lib. 2. quæst. 5* contra omnes insurgit, atque expressè contendit, probabilitatem, ab auctoribus benignæ sententiæ assertam, coherere cum certitudine oppositi. Unde infert, nullius opinionis, ne quidem probabilioris usum esse licitum. Falsitas hujus paradoxii hoc loco examinanda est, simulque Celladei inconsequentia de exclusionem opinionis probabilioris detegenda. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Probabilitas Academicorum de una parte componi potest in eodem intellectu cum certitudine, non tamen cum perfecta evidentia de altera contradictionis parte.

Probabilitas Academicorum componi potest cum certitudine oppositi.

2. PROBATUR. Quævis apparentia veri sollicitans intellectum ad assensum aut voluntatem ad operationem, est probabilitas ab Academicis asserta. At hæc componi potest cum certitudine de opposito. Fides enim de mysteriis revelatis certissima est, & tamen sæpe ad certam apparentiam veritatis, qua intellectus & voluntas stimulantur ad assensum illis negandum, ut patet ex tentationibus fidei, & argumentis hæreticorum, quibus fidelis homo tentatur, & aliquo modo ad hæresim stimulat. Ergo probabilitas Academicorum datur contra certitudinem.

Sed non cum evidentia partis contrariæ.

3. Probatur secunda pars. Evidentia perfecta excludit omnem formidinem, tam actuale quam possibilem, oppositi. Nemo enim formidare potest, an totum sit majus sua parte, nec ullam oppositi apparentiam habere, qua ad dissensum stimuletur, ut experientia constat. Eadem autem ratio valet de omni alia perfecta & metaphysica evidentia. Ratio est, quia evidentia consistit in clara veritatis intuitionem; illa autem statim rapit intellectum, illumque necessitat ad assensum, suaque luce omnes tenebras aut apparentiam stimulantem ad contrarium abtergit. Non sic fides, quæ obscura est, quamvis sit certa. Obscuritas autem illa efficit, ne actus fidei absque voluntatis

imperio elici possit, quia intellectus à veritate obscure proposita non rapitur in assensum. Itaque obscuritas necessariò relinquit possibilitatem suspendendi assensum; nec hanc tantum sed etiam possibilitatem dissentendi admittit, quia obscuritas non removet omnem apparentiam contrarii, alioquin eo ipso non esset obscuritas, sed perfecta claritas & evidentia. Stat ergo veritas assertionis.

ASSERTIO II.

Probabilitas à benigna sententia asserta de una parte contradictionis nequit simul componi in eodem intellectu cum evidentia aut certitudine alterius partis; utraque tamen potest simul existere in diversis intellectibus, aut in eodem pro diversis temporibus.

Probabilitas de una & evidentia de altera parte contradictionis simul datur in diversis intellectibus.

4. PROBATUR assertio, quæ quoad secundam partem adeo clara est, ut sola illius propositio, potentiarumque ac temporum distinctio ad veritatem illius demonstrandam abundè sufficiat. Quis enim non videt fieri aliquando, ut Theologus aliquis non sophisticè, sed juxta possibilitatem humanæ fragilitatis & materiæ propositæ qualitatem, solide ac rationabiliter procedens in sua resolutione, post omnem diligentiam adhibitam à vero aberret. In hoc casu Deus & Angelus certè & evidenter norunt veritatem, ac de illa evidentiam habent. Hoc autem non impedit, quò minus Theologus ille probabiliter casum resolverit; imo, si hypothesis, in qua locutus sumus teneatur, non poterat non probabiliter eam resolvere. Erravit tamen. Ergo probabilitas de una, & evidentia de altera contradictionis parte simul existere possunt in diversis intellectibus. Idem omnes clarè discernunt in probabilitate extrinseca. Multi pueri probabiliter judicant eos esse suos patres, qui revera non sunt Patres ipsorum. Jam Deus & Angeli, ac homines aliqui evidenter norunt, quòd pueri in hoc suo judicio errent. Sed & ipsi pueri in fine mundi idipsum evidenter scient. Præterea eadem est ratio de uno eodemque intellectu hominis respectu diversorum temporum, ac plurium intellectuum respectu ejusdem temporis. Ergo sicut respectu diversorum intellectuum in eodem instanti dari potest evidentia unius, & probabilitas alterius contra-

contradictorii, ita pariter eadem successivè dari possunt in eodem intellectu, nec in hoc ulla difficultas superesse potest.

Sed non simul cohererent in eodem intellectu.

5. Probatur prima pars. In primis, stante evidentia unius partis, clarum est, alteram partem non posse esse probabilem probabilitate à benignæ sententiæ Auctoribus asserta, quia illa requirit stimulum ad assentiendum multò majorem, quàm probabilitas Academicorum, ut certò constet ex *quæst. precedente*. Atque ex *prima assert.* evidens est, nec probabilitatem Academicorum, nec ullum stimulum assentiendi uni parti conjungi posse cum evidentia partis contradictoriæ oppositæ. Ergo à fortiori omnis evidentia unius partis excludit probabilitatem, de qua nos loquimur, à parte contradictoriæ opposita.

Requisita ad probabilitatem explicantur.

Idem probatur, quando altera contradictionis pars est certa, & non evidens. Vera certitudo fundatur in motivo falli nescio, quod ita proponitur intellectui ut mereatur assensum, quo omnis actualis formido excludatur. At tale motivum haberi non potest, nisi tanto intervallo superet omne motivum in contrarium, ut illud respectu hujus nullius sit momenti, nec ullus assensus suspensionem aut retardationem mereatur, si omnia debite, & sine passione animi obcæcante perpendantur. Nisi enim hæc adsint, iudicium meritò suspendi poterit, & motivum ad illud impellens non merebitur assensum absque formidine, ut patet. Ergo non erit certum & infallibile ex vi sui motivi, contra quod supponimus. E contra probabilitas à nobis definita, non est quævis, sed solùm magna apparentia veri, immo tanta, ut mereatur assensum, etiam in contradictione motivi contrarii. Secundò tanta esse debet illa apparentia, ut nec physicè, nec moraliter evanescat in comparatione motivi contrarii, sed cum illo comparari possit, illudque aut æquet vel superet, aut certè non multùm ab eo superetur. Tertio, motivum, ut sit probabile, debet esse tantæ efficacix, etiam in contradictione motivorum contrariorum, ut qui illi assensum præbet, temeritatis argui non possit. Quarto, quod in idem recidit, requiritur ad motivum probabile, ut aptum sit movere hominem peritum & probum ad assensum, quando iudicium format sic hominem peritum & probum. Quintò, requiritur ad apparentiam probabilem, ut illa ex vi magnitudinis suæ intrinsecæ frequentius connectatur cum vero, quàm cum falso; quæ omnia fusè monstrata sunt in *primis sex quæst. de Consc. prob.* Jam posita certitudine unius partis, impossibile est dari ullam apparentiam pro parte contraria, quæ ipsam certitudinem excludat, aut alias probabilitatis proprietates habeat. In primis motivum incertum & fallax non meretur assensum contra motivum certum & infallibile, cognitum ut tale. Secundò, omne motivum incertum evanescit in comparatione motivi certi in contrarium, quantum ad meritum impetrandi assensum, nec ullius ponderis reputari debet, cum non solum incomparabiliter excedatur à motivo certo, sed excessus ille sit in diverso ac superiori ordine. Tertio, nemo magis temerè iudicat, quàm qui, motivo certo rejecto, falso & incerto assensum præbet. At non temerè iudicaret, si motivo probabili niteretur. Præterea nos loquimur in sensu composito cum certitudine, in quo sensu nemo reputare potest motivum oppositum dignum assensu rationabili, quia eo ipso putaret motivum certum esse fallibile & falsum. Quarto, repugnat hominem sequi motivum incertum

contra certum, si iudicet sicut decet hominem peritum & probum iudicare. Quintò, omne motivum incertum ita debilitatur à motivo contrario certo, ut omnes apparentix illi æquales non possint frequentius connecti cum vero quàm cum falso. Ergo nullum motivum potest esse probabile, contra quod motivum certum militat. Saltem evidens est, nullum tale motivum esse posse probabile probabilitate à nobis asserta, quia evidens est, ea prædicata illi non convenire, quæ ad omnem veram probabilitatem requirimus ut essentialia.

6. Demum licet prædicata hæc, aliæque ejusmodi probabilitati assignata, evidenter inferant, partem oppositam non posse simul esse certam illi intellectui, cui altera pars tanta verisimilitudine repræsentatur, quanta ad probabilitatem requiritur; nihilominus, ut omnis dubitatio & possibilitas æquivocandi in re tanti momenti tolleretur, inter reliqua ad probabilitatem essentialiter requisita hoc tamquam potissimum requirimus, ut nil certum afferatur in contrarium. Cogitet hæc Celladeus, & videbit concipi non posse, quòd probabilitas, quam requirimus in opinionibus quarum usum admittimus esse licitum, quæque sola est probabilitas à nobis asserta, cum evidentia partis contrariæ componi possit. Nihilominus Celladeus in hac luce meridiana non solum non videt veritatem tam perspicuam, sed imaginatur se clarè videre oppositum, jactatque se illud clarè probare ac evincere. Sed certissimè ac clarissimè fallitur, ut ex rationum, quas assert, examine mox patebit.

Disertè respondent ut oppositum non sit certum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

7. OBJICIT. Nil magis obvium in Auctoribus etiam gravissimis, quàm quòd sæpe suam sententiam tueantur ut certissimam & evidentem; nec tamen oppositam damnant, ut improbabilem. Ergo probabilitas, opinionibus dari solita, salvatur contra certum & evidens.

Confirmatur ex phrasibus, quas Auctores frequenter adhibent dicentes: *Hoc est evidens. Hæc ratio est manifesta. Argumentum evidenter solvitur.* Phrasæ istæ indicant, Auctores illos habere sua asserta pro evidentibus, qui tamen non censurant oppositas sententias, utpote communes, ac commonissimas in scholis, sed eas supponunt esse probabiles. Sed & S. Thomas frequenter utitur hac phrasè, *Ad cuius evidentiam sciendum est.* Ergo S. Thomas censuit suam sententiam evidentem, nec tamen oppositam ut improbabilem reputat, aut refellit.

8. Id ipsum probatur secundò. In rebus ac opinionibus utrimque controversis aliquid aliquandò certò scitur ac demonstratur, alioquin Physica, Metaphysica, ac Theologia non essent scientiæ, & frustra traderetur Logica de modo sciendi, si nil scire contingeret. Quis dicet, Scholam Thomisticam, nil omnino demonstrasse contra Scotistarum ac Nominalium scholas, contra quas jam per tria sæcula dimicant? Idem dico de Scotistis contra Thomistas, &c. saltem non nemo Thomistarum arbitratur se demonstrasse aliquid contra Scotistas, v. g. non dari distinctionem formalem ex natura rei inter divinam essentiam & relationes. Similiter ex adverso aliqui Scotistæ putant se aliquid contra Thomistas demonstrasse. Nec tamen censurant sententiam oppositam, sed ultro fatentur, illam esse probabilem. Demum nil evidentius demonstratur, quàm quod

Hoc in multis speciebus verificatur.

Realitate omnes contra Nominales dicimus, nempe dari aliqua entia modalia ab entibus absolutis distincta. Nec tamen possumus dicere, opinionem Nominalium non esse probabilem, cum quotidie in scholis defendatur, & in libris antiquis quam noviter editis toleretur absque nota vel censura.

Alia ad idē confirmandum exempla.

9. Demum ingens lis est inter PP. Dominicanos & Auctores Societatis, utrum gratia efficax sit prædeterminans, an indifferens? lis hæc per decennium coram Summis Pontificibus discussa, nec tamen determinata fuit, quia Paulus V. decrevit, ut cuique parti suam tueri opinionem liceret, ita tamen, ut neutra adversam notaret vel censuraret. Decretum viget & servatur. Interim dubium nullum est, quin multis Dominicanis scientia media certò falsa & fictitia videatur; & vice versa tantundem aliquibus saltem ex adversariis videtur de physica prædeterminatione. Et tamen neutri oppositam sententiam ut improbabilem censurant. Quod dictum est de speculativis, æquè locum habet in moralibus, quia par de omnibus est ratio. At in eo casu non licet sequi opinionem probabilem contra propriam sententiam certam & evidentem. Ergo probabile opinio-
 nium cohæret contra certum & evidens. Ita Celladeus lib. 2. quest. 3. per totos tres primos paragra-

Mirabilis & inaudita probabilitatis explicatio à Celladeo conficitur.

phos, in quarto autem contendit, probabilitatem opinio-
 num in alio non consistere, quam in impunitate quadam, ratione cuius defendi aut edi potest absque ulla censura, vel impedimento. Hæc impunitas dupliciter tollitur, primò per superiorum, maximè per Romani Pontificis prohibitionem; secundo, per unanimum Theologorum consensum; si enim Summus Pontifex prohibeat aliquam opinionem, eo ipso impunitas dicta, & consequenter opinio illius probabilitas tollitur. Secundo, hæc impunitas, tacentibus superioribus, ex concordia iudicio omnium Theologorum tollitur, quando omnes aliquam sententiam tuerentur. Eo ipso enim contraria opinio censetur improbabilis, si maximum aliquod fundamentum à reliquis prætermisum non afferat. Itaque opinionem aliquam esse probabilem probabilitate opinionibus dari solita significat hæc duo collectivè, eam scilicet nec esse contra uniformem doctrinam Theologorum, nec à superioribus doctrinarum iudiciis impeditam aut prohibitam.

Porro probabilitas ista aliquando purè negativè convenit opinionibus, quia superiores nihil omnino, nec pro, nec contra determinarunt, sed tacerunt. Aliquando convenit positivè, quando Summus Pontifex positivo decreto omnem censuram & notam utriusque opinionis inhibuit. Unde sequitur primò, probabilitatem opinionibus dari solitam præscindere à vero & falso, & ab approbato vel tolerato. Sequitur secundo, eandem principaliter esse fori exterioris, & non ineptè dici posse probabilitatem secundum dici, cum probabilitas consentiæ dici debeat probabilitas secundum esse. Similiter probabilitas opinio-
 num dici potest probabilitas transcendentalis, quia transcendit omnes libros non prohibitos, omnesque ac singulas opiniones non notatas. Probabilitas autem conscientie est particularis quædam probabilitas fundatior & solidior, ut ex omnium Auctorum gravium sensu ostendit lib. 1. (inquit Celladeus) & hic tanquam indubitatum suppono. Hæc Celladeus, quibus putat se clarè intentum suum probasse.

10. Respondeo, argumentum esse proorsus &

undique invalidum. Inprimis ergo fateor, Auctores complures tueri sententiam suam ut certam & evidentem, quod dupliciter fieri potest; primò directè, eò quòd rationes, quibus moventur ad assensum, sint adeò certæ & evidentes, ut postea reflectentes in illas evidenter sciant rationes illas esse tales, ideoque absque omni formidine aut formidandi potentia non solum directè & exercitè asseruntur objecto proposito, sed etiam eodem modo reflexè ac signatè evidenter sciunt & asserunt rationes, quibus moti fuerunt, esse infallibiles ac certissimas. Talis est opinio in Physicis, quòd Sol terram, & terra Lunam in mole excedat; quòd dentur Antipodes; quòd terra sit rotunda, ac simpliciter loquendo rotundior pila lusoria, non obstante magna montium ac vallium anfractuositate. Talis in Theologia est opinio, quòd perfectà beatitudo creaturæ rationalis consistat in perfectà possessione Summi Boni, quòd ignorantia invincibilis à peccato excuset, &c. Jam in talibus nemo est, qui fateatur contrariam opinionem esse probabilem respectu intellectus, cui veritates istæ modo dicto sunt demonstratæ. Talis enim intellectus evidenter scit ac iudicat, partem contrariam esse manifestè falsam. Ergo impossibile est, quod relatè ad se reputet illam esse probabilem, cum nullum pro parte illa adesse possit argumentum, quo intellectus ad assensum stimuletur, ut dictum est. Nec quemquam inveniet Celladeus, qui de tali opinione sua loquens, unquam dixerit, oppositam esse sibi probabilem.

11. Nihilominus, stante hac certissima scientia de veritate unius, & de falsitate alterius partis contradictoriè oppositæ, fieri poterit, ut credamus, partem oppositam, etsi nobis certissimè falsam, esse aliis probabilem, quia quod uni certò falsum est, potest alteri esse probabile, ut ostensum est assert. 2.

12. Secundo, Auctores sæpe solum reflexè asserunt, suam sententiam sibi videri certam & evidentem, idque vel absolutè, vel solum quibusdam suppositis, quæ tamen certa non sunt, & ideo supponi debuerunt, ut ad certitudinem saltem ex suppositione perveniret. In hoc casu, certitudo & evidentia, reflexè asserta, non certò & evidenter ut in primo casu, sed formidolosè & ad summum probabiliter affirmatur, quia nesciunt, an in suo discursu erraverint, aut aliquid ignoraverint, ex quo oppositum efficaciter probari possit. Hinc autem perspicuum est, iudicium hoc reflexum non excludere iudicium de probabilitate intrinseca partis contrariæ apud alios, neque etiam evidentiam probabilitatis extrinsecè ejusdem apud se. Hoc tunc vel maximè locum habet, quando quis hoc modo opinatur contra communem sententiam, videtque plurimos viros peritos & probos, post omnes suas rationes illis manifestatas, permanere in sua sententia, atque putare contrarias rationes illis prævalere, &c. Tunc certè homo ille habet motivum diffidendi de se ac suo discursu, ideoque evidenter scit, auctoritatem parti oppositæ faventem esse sufficientem, ut quis ex vi illius, non obstantibus rationibus, quas ipse certas esse arbitratur, rationabiliter assensum præbeat; imo ex eodem capite evidenter præsumere potest, quòd pars illa non destituatur validis ac verè probabilibus argumentis, quamvis ipse illa non videat, nec eorum robur percipiat. Jam quando Auctores tuerentur suas assertiones ut certas & evidentes, plerumque in hoc tantum sensu loquuntur, ideoque

Auctores dupliciter dicunt suam opinionem esse evidentem.

Primum: dicitur tollit probabilitatem oppositam in eodem intellectu.

Secundum: non in diversis.

Secundum: modum assendi suam sententiam esse evidentem non impedit probabilitatem oppositam.

que simul existimare possunt, contrariam opinionem esse intrinsecè probabilem apud alios, eamque probabilitatè ab illis optimè cognosci, quamvis ipse illam non videat. Cæterum si de gravibus Auctōribus sermo sit, Celladeus sæpissimè inveniet eos tunc solum loqui dicto modo, quando ex suppositione aliqua discursum instituunt. Talis autem locutio non est ad rem, quia iudicium de evidentia rei ex suppositione nullo modo contrariatur iudicio de absoluta probabilitate oppositi.

Equivocatio Celladei.

13. Hinc manifesta terminorum confusio apud Celladeum se prodit. Ille enim ita loquitur, ac si Auctōres primo tantum modo essent intelligendi, cum rarissimum id sit. Tunc autem nemo omnium dicit, aut supponit, oppositum aut sibi, aut aliis rationes ipsius debite intelligentibus, esse posse probabile, & Celladeum provoco, ut vel unum citer. Cæterum Auctōres frequenter secundo modo loquuntur, & tunc arbitrantur dari posse, ac de facto apud alios dari probabilitatem veram contra id, quod ipsis reflexè certum apparet & evidens. Imo existimant fieri posse, ut illa probabilitas ipsis aliquando appareat, etsi de præfenti illam non videant. Itaque certa probabilitas extrinseca, & intrinseca præsumpta rectè coheret cum existimata certitudine oppositi. Ex hoc autem nihil sequitur in favorem Celladei. Nam in primo casu nemini licet contra propriam sententiam agere; quia oppositum non potest illi ulla ratione apparere verum, aut probabile, quamvis aliis, talem scientiam non habentibus, liceat partem falsam amplecti, quando ipsius honestas est illis certò probabilis, & inhonestas invincibiliter ignoratur. At in secundo casu non est cur hominè operari non possit contra suam sententiam directam, modò deponat illud iudicium reflexum; quia, eo deposito, ob extrinsecam auctoritatem certò magnam formare poterit iudicium practicum, quo prudenter credat, sibi licitum esse sequi opinionem tanta auctoritate suffultam, atque ita demum contra propriam sententiam operari, juxta dicta quaest. 22.

Si phrasium allatum expli- catur.

14. Ad confirmationem desumptam à phrasibus illis communiter usitatis, *Hoc est evidens. Argumentum evidenter solvitur, &c.* ex dictis patet responsio, scilicet probabilitatem opinionibus dari solitam nunquam coherere in eodem intellectu cum vera certitudine ac evidentia oppositi, quamvis probabilitas extrinseca, & quædam intrinseca præsumptio coherere possit cum evidentia reflexè & formidolosè affirmata. Neque phrasès istæ, aut quidquid à Celladeo assertur, aliud probant, quamvis omnia admittantur esse vera in latissimo sensu, quem verba præferunt. Cæterum locutio illa, *hoc est manifestum*, juxta communem phrasim acceptionem non infert certitudinem aut evidentiam propositionis, sed solum ejusdem probabilitatem, quia in principis immediatè probabilibus frequenter utimur tali locutione, quæ aliud non significat, quam rem dignam esse assensu, nec ulteriori investigatione indigere, ut illi fides adhibeatur. Phrasès illa, *argumentum evidenter solvitur*, quando cum veritate profertur, solum aufert probabilitatem ab argumento; inde autem non aufertur probabilitas opinionis, quam illud argumentum confirmabat, cum illa ex aliis argumentis probabilitatem habere possit. Ergo quamvis aliquis evidenter solvat aliquod argumentum, simul potest agnoscere sententiam, cui argumentum illud favebat, esse probabilem, eò quod alia argumenta ad hanc denominationem illi tribuendam sufficiant.

15. Quod attinet ad Phrasim illam S. Thomæ, *ad cuius evidentiam sciendum est*, præter responsiones hæcenus datas, quæ illi applicari possunt, dico verba illa, *ad cuius evidentiam*, plerumque non sumi in stricta significatione, sed idem sonare, ac si diceret, *ad cuius clariorem intelligentiam, &c.* Quod si hoc durum ac falsum videatur, non sum qui hac de re litem instituam. Loquatur in summo rigore de evidentia non morali, quæ in majori probabilitate invenitur, sed de metaphisica evidentia, quæ ex suo genere est summa; adhuc non sequitur, illum admittere probabile contra evidens. Ratio est, quia duæ præmissæ necessariae sunt ad conclusionem inferendam. Jam si una tantum ex præmissis sit evidens, & altera solum probabilis, conclusio, quæ partem sequitur debiliorem, erit solum probabilis. Unde cum S. Thomas uti solet illa phrasim, dum loquitur de præmissis, rationabiliter eam applicat uni præmissarum, non autem etiam alteri & conclusioni; quia utraque potest esse probabilis, cum nulla contra ullam illarum sit evidentia.

Phrasès S. Thomæ explicatur.

16. Sed estò, loquatur S. Thomas de ipsa assertionem, eamque absolutè evidentem enunciet, ostendat Celladeus, quod in tali casu opinionem contradictoriè oppositam ulli dixerit esse sibi probabilem, aut desinat dicere, S. Thomam putasse probabilitatem coherere cum evidentia oppositi. At inquit, S. Thomas non rejicit opinionem contrariam ut improbabilem. Ergo supponit eam esse probabilem. Respondeo, transeat quod non semper expressè rejiciat illam ut improbabilem absolutè apud omnes alios, qui vim suæ demonstrationis ignorant. At frivolum est existimare, quod non rejiciat illam ut sibi improbabilem. Profectò qui evidenter scit, & apertè pronunciat, opinionem aliquam esse evidenter falsam, ille non solum dicit illam esse sibi improbabilem, sed omni prorsus probabilitatis specie carere, quia longè plus est esse evidenter falsum, quam esse improbabile; multa enim improbabilia sunt vera, & aliquam verisimilitudinem præ se ferunt, nec carent vi stimulandi intellectum ad assensum, cum nil horum evidenter falsis conveniat. Itaque si S. Thomas certò & evidenter dicat, opinionem aliquam esse evidentem, eo ipso expressè sentit, opinionem contradictoriè oppositam esse sibi improbabilem, & plusquam improbabilem. Quomodo enim quidquam esse potest probabile illi intellectui, qui non solum illud non approbat, sed ex evidentia falsitatis necessitatur ad illud reprobandum & damnandum?

S. Thomas non tenet quidquam esse probabile, cujus contrarium est evidens.

17. Quod ad opiniones utrimque controversas attinet, rarissimè evenit, quidquam certò ac evidenter sciri, quamvis aliquando vera ac legitima demonstratio inveniatur. Cæterum quoties veritas verè demonstratur, impossibile est, quod oppositum eidem intellectui aut appareat, aut habeatur probabile. Multæ quidem sunt demonstrationes in Physica, Metaphisica, ac Theologia de assertis, in quibus omnes conveniunt, verum admodum paucæ, aut fortasse nullæ de opinionibus utrimque controversis. Nominatim Thomistæ non demonstrarunt contra Scotistas essentiam divinam non distingui actuali formali distinctione à relationibus. Si enim hoc demonstrassent, utique Scotistæ non amplius suam opinionem tenerent; puderet enim viros probos & doctos opinionem evidenter falsam tueri. Quid quod absque mendacio eam tueri non possent, ut veram; quia aliud verbis proferrent, aliud mente crederent. Quod si rationes Thomistarum post

In opinionibus utrimque controversis raro datur vera demonstratio.

post diligentem earum inspectionem non convincant Scotistas, sed ab illis plausibiliter solvantur, profectò signum est, rationes illas demonstrativas non esse, sed solum probabiles; si enim essent demonstrativæ, utique raperent intellectum ad assensum, & statim Theologi in illis, sicut Geometræ in rebus mathematicis, convergerent. Nul- lum enim certius iudicium evidentia, quam omnium rationes examinantium concordia; nullum apertius inevidentiæ signum, quam Au- ctorum easdem rationes ponderantium discor- dia. Neque hæc discordia prævio partium affe- ctui tribui potest, quia plures nulli partium alli- gati, sed in sua educatione liberi, hæc in re Scoti- stis contra Thomistas subscribunt; quod certe non facerent, si Thomistæ veritatem suæ senten- tiæ demonstrassent. Cæterum Celladeus exem- plum hoc ex omnibus proponere non debuisset, cum potissimum Scotistarum fundamentum in ipso Sacrosanctæ Trinitatis Mysterio fundetur. Unde fit, ut sicut mysterium illud est singulare, & indemonstrabile, ita demonstratum hætenus non est, & fortè nunquam demonstrabitur, hoc ipsum mysterium distinctionem illam Scotisticam non includere. Quid enim mirum, si mysterium ineffabile mirabilem secum distinctionem asserat? Ego hæc in re cum Scotistis non sentio; sentio tamen opinionem illorum hætenus evidentiæ falsitatis non fuisse convictam, & quod plus est, vix puto eam in hac vita evidenter convincen- dam.

18. Quod si Thomistæ aliquis putet se demon- strasse suam assercionem contra Scotistas, non est, cur etiam Scotista non putet, se suam opinionem contra Thomistas demonstrasse. An- nê ideo uterque aut alteruter suam opinionem demonstravit? Nil minus. Istæ sunt demonstra- tiones tantum apparentes, quas illi reflexè con- siderantes, formidolosè putant esse evidentes, cum revera non sint. Jam qui taliter afficiuntur, non possunt absolute affirmare opinionem con- trariam non esse aliis probabilem, ut dictum est; cum & ipsismet sit extrinsecè probabilis, quam- vis apud illos hîc & nunc extrinsecam probabilita- tem non habeat.

19. Idem dico de opinione, qua contra No- minales affirmamus dari entitates modales ab- solutis distinctas. In hac re existimo, nos nulla in re particulari demonstrare intentum, v. g. quod datur unio aut ubicatio, quæ sit pec- cularis quædam entitas ab aliis omnibus distin- cta, qualem nos illam esse putamus. Ratio est, quia tota ratio nostra fundatur in eo, quod in- differentia tolli debeat, ut habeatur denomina- tio. Hæc propositio facilè admittitur pro evi- denti, etiam ab adversariis. At minor, quæ sub- sumitur, quod nil præter talem entitatem auferat aut auferre possit talem indifferentiam, non est evidens, & ab adversariis negatur, quorum ali- qui unum, alii aliud pro sufficienti determinativo assignant. Ego quidem rejicio omnes eorum re- sponiones ut insufficientes, haud tamen omnes ut evidenter falsas audeo rejicere, cum illas à do- ctissimis ut sufficientes admitti videam. Sed licet scirem omnes esse evidenter insufficientes, non- dum demonstrarem intentum, quia non est evi- dens, nullam aliam viam excogitari posse, per quam independenter ab hac entitate peculiari in- differentia illa tollatur. Ego plurimi facio inge- nium Celladei, nec tamen puto illum absolute demonstrasse, dari ullam ex peculiaribus modis communiter assertis, qua nisi evidenter demon-

straverit, nullam aliam viam excogitari posse, qua indifferentia tollatur, non demonstravit intentum. At hoc demonstratu difficillimum, ne dicam, impossibile est, quia limitata mens nostra diffi- culter demonstrare potest, nullum alium intelle- ctum assignare posse ea, quæ nos latent, nisi ad- sit argumentum positivum directè probans im- possibilitatem rei. At tale argumentum deest in casu nostro, utimur enim argumento negativo, dum dicimus nihil assignari posse, quod indiffe- rentiam tollat; si enim aliquid assignari possit, assignetur, & quod assignatum fuerit, invenietur insufficientis, sicut quæ hætenus assignata tuere, sunt insufficientia. Verùm hoc ultimum est mera conjectura, non demonstratio. Unde non rejici- mus contrariam opinionem ut improbabilem, cum illa nobis extrinsecè, & aliis intrinsecè sit probabilis. Quod si nos evidentiam haberemus illorum modorum, profectò Nominantium opi- nio nobis probabilis esse non posset.

20. Eadem prorsus ratio est de PP. Domini- canis & Auctoribus Societatis nostræ; myste- rium enim efficacæ gratiæ, & scientiæ divinæ adeo reconditum est, ut etiam, positis principiis fidei, difficillimum sit certam & evidentem ejus notionem habere, ac positivè demonstrare, quod hæc aut illa sententia, quæ à gravissimis Aucto- ribus post omnia hinc inde allata seriò confide- rata defenditur ut vera, sit evidenter falsa. Quod si aliquis suam partem verè demonstrat, opposi- ta opinio illi probabilis esse non potest, cum sit ipsi evidenter falsa. Si verò aliquis solum reflexè putet, rationem suam esse demonstrationem, tale iudicium non est incòpossibile cum probabilitate partis oppositæ, juxta dicta. Cæterum si aliquis non solum diceret, se putare suam sententiam esse veram ac demonstratam, sed absolute con- tenderet, se demonstrativè scire suam rationem evidenter concludere partem suam esse veram, ideoque jactaret oppositam opinionem esse evi- denter falsam, & certissimum ac indubitatum er- rorem continere; is certè gravissimam censuram alteri parti inureret, & longè majorem, quam si diceret eam esse improbabilem. Nec dubito quin Celladeus ipse graviss ferret, si dicerem ipsius opinionis esse evidenter falsas, quam si solum dicerem eas esse improbabiles; quia prima locutio significaret eum in meridiana luce non po- tuisse veritatem videre, cum secunda solum in- diceret, eum in rebus obscuris non advertisse ad potissimas rationes contrarias, vel eas debite non examinasse, aut certè nimis credulum fuisse, ac pluris, quam par erat, rationes sibi faventes ac- cisse. Secundum indiligentiam, aut ad summum oscitantiam aliquam arguit; primum autem im- peritiam, ac incapacitatem quandam sonat, quæ acerbius quam indiligentia objicitur, ut patet.

ASSERTIO III.

Gloriosa Celladei argumentatio, qua hoc loco evincere contendit, usum opinionum probabilium non esse licitum, est manifesta equivocatio, nec umbram habet legitima consequentia.

21. **P**ROBATUR. Argumentum suum A chil- leum Celladeus his verbis proponit. *Pro- babile opinionibus dari solum locum habet contra certum & evidens: sed probabile pro conscientia po- situm non habet locum contra certum & evidens.*

Ergo

Scotistæ rati-
faciunt suas
opiniones,
quæ Tho-
mistæ suas.

An datur
vera demō-
stratio quod
datur enti-
tates moda-
les?

Difficilli-
mum est
quidem
demonstra-
re in Theo-
logia quæ-
dam utraque
pars com-
muniter
habetur re-
ra.

Ergo probabile opinionibus dari solitum non est probabile ab Auctoribus pro conscientia positum. Minorem asserit à nobis omnibus ultrò admitti. Majorem gloriatur se clarè evicisse. Consequentia est legitima. Ruit ergo benigna sententia. Gloriosam enim verò argumentationem! sed manifestè invalidam. Major enim evidenter falsa est respectu ejusdem intellectus pro eodem instanti; sed aliquando locum habet respectu diversorum intellectuum, aut ejusdem pro diversis temporibus. Minorem admittimus respectu ejusdem intellectus, quia quando inhonestas rei est alicui certa, tunc verum probabile de ejusdem rei honestate locum non habet in eodem intellectu. At respectu diversorum operantium, minor sæpe est falsa; quod enim uni est evidenter fallum, alteri esse potest probabile probabilitate conscientiz, ut ostensum est *Assert. 2.* Præmissis hoc modo juxta indubitatum benignæ sententiæ sensum distinctis, consequentia non inferitur, nec quidquam inferitur contra nos, qui aliud non docemus, quàm illud unicuique licitum esse, quod in rebus incertis ipsi certò probabiliter apparet honestum. Unde si inhonestas rei sit ipsi certa, doctrina nostra pro illo casu apud eum locum non habet.

In rebus facti sæpius quàm in rebus juris licet operari contra id, quod aliis est certum.

22. Dices: ergo nobis licitum erit agere contra ea, quæ aliis certa sunt & evidentiæ. Ergo hæretici excusantur, quia non agunt contra id, quod illis certum est, sed solùm contra id, quod certum est nobis.

Respondeo consequentiam tunc solùm rectè deduci, ac à nobis admitti, quando certitudo, aliis manifesta, ita nos latet, ut tamen post diligentem ac debitam veritatis indagacionem habeamus tantam apparentiam de honestate partis contrariæ, quanta juxta dicta ad veram probabilitatem requiritur. Hoc porro sæpe contingit in rebus facti, aliisque, quæ unitantum aut valde paucis sunt certa & evidentiæ. At in rebus de jure, quæque notoriam ac publicam certitudinem habent (qualia sunt pleraque ad jus naturæ spectantia, quæque ab Eccl. lesia in materia fidei & morum sunt expressè definita) rarò evenit, ut liceat contra illa agere, quia rarò contingit ea invincibiliter ignorari. Qui enim circa hæc debitam diligentiam adhibet, ad illorum notitiam facillè pervenit. Cæterùm, si contingeret aliquem invincibiliter hæc ignorare, ac habere probabilitatem de veritate oppositi in tali ignorantia fundatam, ille hand dubiè excusaretur in opere, etsi contra veritatem aliis notoriè certam operaretur. Verùm hoc est per accidens, ut patet, & inter Catholicos non adeo frequenter contingit. Eadem ratione plures idiotæ apud hæreticos educati, à peccato infidelitatis excusantur.

ASSERTIO IV.

Probabilitas, opinionibus tribui solita, non est mera impunitas, ratione cujus propositiones edi possunt absque censura, vel impedimento. Rursus eadem probabilitas aliud significat, quàm hæc duo collectivè, nempe opinionem ab uniformi omnium peritorum doctrina non discrepare, & à legitimis doctrine iudicibus non esse impeditam vel prohibitam. Demum Cellædus, quæ hæc definitiones pro legitimis attulit, parlam erravit, & præterea in re summi momenti non, ut peritum Theologum decet, se gessit.

23. **P**ROBATUR prima pars. Inprimis hæc impunitas convenit plurimis propositionibus temerè conceptis, ut patet; illæ enim sæpe imprimuntur, & defenduntur absque eo, quod ullus legitimus doctrinarum iudex eas censuret ac prohibeat. Sæpe fieri potest, ut quis propositionem aliquam peculiarem in re ab omnibus non agitata temerè proferat, eamque absque diligenti veritatis examinatione publicè defendat, atque etiam impunè divulget. Certum autem est, tales opiniones esse temerarias, Doctorumque censurâ dignas. Similiter certum est, tales opiniones eanon habere; quæ Auctores benignæ sententiæ, ad probabilitatem opinionum, de quibus loquuntur, expressè requirunt. Ergo impunitas dicta non est probabilitas opinionibus tribui solita.

Probabilitas non est impunitas, sicut actualis impunitas à censura.

24. Secundò, impunitas ista non requirit ullam certam magnitudinem in motivo, cui opinio nititur, nec quidquam exprimit circa qualitatem ac vehementiam apparentiæ, qua intellectus ad propositionem assentiendum impellitur. Ergo nullo modo exprimit naturam probabilitatis opinionibus dari solitæ, quia omnes omnino illam explicant per magnitudinem motivi, aut apparentiæ impellentis ad assensum. Certè hæc impunitas minùs congruè definit probabilitatem, quàm hæc oratio, *animal voluptatu capax*, definit hominem; quia illa impunitas nil plus de differentia probabilitatis, quàm dicta oratio de hominis differentia exponit, ut patet. Rursus illa nil de probabilitatis genere proximo, aut nobilissimo post differentiam ultimam prædicato explicat, sed per meram legum impunitatem, superiorumque conniunctionem, imò & tolerationem etiam ex ignorantia profectam, genuinam probabilitatis naturam exponit, quo nil magis incongruum dici potest, cum probabilitas in ordine ad impellendum iudicantis intellectum, non ad actualem potentis iudicare tolerationem, relationem dicat. E contra, illa oratio proximum hominis genus, præcipuamque dicti generis prerogativam explicite declarat. Ergo præsens expositio est deterior probabilitatis, quàm illa oratio sit hominis definitio.

Cellædus definitio probabilitatis communiter dictæ est præterea insufficientis, & mala.

25. Tertio, hæc impunitas optimè coheret in mente alicujus cum certitudine & evidentiæ oppositi. Sæpe, inquam, quia in materia facti frequentissimè, in materia autem juris non rarò alicui certò constat veritas, contra quam tamen datur præsens impunitas opinandi. At certum est, & stabilita semel vocum significatione, evidens, nil esse probabile illi, qui evidenter novit contrarium.

rium. Ergo evidens etiam est, dictam impunitatem non esse prædicatum cum opinionum probabilitate ab Auctoribus benignæ sententiæ asserta convertible. Ergo probabilitas opinionum per dictam impunitatem perperam definitur.

Ex hac doctrina sequitur, omnem opinionem non censuratum esse probabilem.

26. Quartò, si quis, contra communem aliorum omnium sententiam, opinionem novam inveniat, non ideo illa est improbabilis, ut Celladeus ipse apertè fatetur; quia si afferat maximum aliquod fundamentum, ab aliis prætermisum, eo ipso suam opinionem reddit probabilem. Ergo absurdè in definitione ponitur, quòd opinio, ut sit probabilis, non debeat unanimi aliorum sententiæ repugnare. Quòd si dictam exceptionem adjicias, definitio ad nil inferviet, quia communis consensus contrarius non reddit opinionem aliquam improbabilem; illa reddi non potest improbabilis per hoc, quod dicas illam non habere magnum fundamentum. Unde enim hoc mihi constare poterit? Opinioni inventor dicit, se habere rationem summi momenti & prorsus convincentem, quam alii aut prætermiserunt, aut non benè perceperunt. Itaque indivisim asserit, suam sententiam esse veram, & fundamenta, quibus nititur, gravissima. Unde constare non poterit, quòd opinio ipsius sit improbabilis; imò necesse erit, quod maneat probabilis, etsi omnes alii reclamant, quamdiu legitimus doctrinarum iudex eam non damnet. Itaque eò tandem deveniendum est, ut ea solum opinio dicatur probabilis, quæ à legitimo Doctrinarum iudice damnata non est. At hæc sequela est certò falsa, cum apertè repugnet cum Decreto Alexandri VII. qui hæc propositionem, *si liber sit alicuius junioris & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectum esse à sede Apostolica tanquam improbabilem*, expressè damnavit.

27. Probatur secunda pars: Primò argumentis hæctenus allatis, quippe quæ æquè militent contra secundum dicendi modum, ac contra primum, ut patet. Præterea Celladeus ipse fatetur, utramque explicationem coincidere, & ad convertentiam dici. Ergo quæ unum illorum impugnant, impugnant & alterum.

Opinio esset improbabilis, etsi deest potestas legitima censurandi illam.

28. Probatur secundò, & utraque explicatio rejicitur, quia si istæ definitiones essent veræ, extra Ecclesiam in republica Civili, in qua nulla datur aut exercetur potestas censurandi opiniones, omnes opiniones ab aliquibus traditæ essent probabiles, quia omnes haberent duo illa prædicata, in quibus essentia probabilitatis ponitur consistere. Nulla enim illarum aut censeretur à legitimo Censore, aut ab omnibus Auctoribus damnaretur, cum aliqui illam tenerent. Ergo nulla ejusmodi propositio esset improbabilis. At sequela est contra lumen rationis, quia multi passione aliqua cæcati absque sufficienti fundamento opiniones inducunt & tutantur. Atqui tales opiniones sunt temerariæ, non probabiles. Præterea independentè à tali potestate, aut certè independentè ab ejus usu, tam Aristoteles, quam alii omnes melioris notæ Philosophi, plures opiniones tanquam improbabiles & non ferendas rejecerunt, quamvis scirent illas à multis fuisse traditas. Ergo illi non hanc, sed aliam probabilitatis notionem agnoverunt.

Nec dicas, Aristotelem, & alios antiquos non locutos esse de probabilitate, quæ nunc opinionibus tribuitur, sed de alia probabilitate vera & reali. Nam contra est, quia hoc sine ullo fundamento dicitur. Præterea certum est, Auctores benignæ sententiæ eadem ad minimum, & for-

tasse plura requirere ad probabilitatem opinionum moralium, quam Aristoteles & Antiqui postularunt, ut patet, tum ex dictis hoc loco, tum ex tract. de cons. prob.

29. Probatur tertio. Si mathematica veritatis demonstratio inveniat contra aliquam opinionem, illic cessat probabilitas talis opinionis, non tamen tollitur ulla ex duabus negationibus, in quibus collectim sumptis probabilitas dicitur consistere. Ergo per se adhuc manet probabilitas; quod tamen lumini rationis, & communium Antiquorum, tum Recentiorum sententiæ repugnat. Ergo probabilitas de veritate alicujus rei non consistit in duplici illa negatione, cum coherere non possit cum evidentia de falsitate ejusdem rei, quæ tamen evidentia cum duplici illa negatione coheret.

30. Probatur quartò. Tam Philosophi, quam Theologi sæpe taxant opiniones ut improbabiles, etsi illæ nec sint à legitima potestate prohibita, nec contra unanimum aliorum omnium consensum probata. Ergo Auctores nomine probabilitatis, quam dant aut negant opinionibus, non intelligunt dictam impunitatem, aut complexum duorum illorum prædicatorum, quia vocant opiniones improbabiles, quibus certò sciunt, dictam impunitatem, dictaque prædicata, etiam collectivè sumpta, convenire. Antecedens notorium est omni, qui Auctores legit. Consequentia legitimè sequitur. Unde mirum est potuisse Theologum talem probabilitatis constructæ explicationem contra veritatem adeo manifestam proponere.

31. Probatur tertia pars. Celladeus has definitiones proposuit ex proprio capite, nec vel unum ex Theologis benignæ sententiæ afferre potest, qui hanc, aut aliam cum illa convertibilem, probabilitatis opinionibus tribui solitæ definitionem assignaverit; provocho enim, ut vel unum afferat. E contra, omnes qui probabilitatem opinionum diseretè explicant, contraria prorsus dixerunt, & ea ad probabilitatis constitutionem proposuerunt, quæ nos illi essentialia esse docuimus. Ergo palàm contra manifestam veritatem erravit. Porro res hæc est summi momenti, cum & rectæ Auctorum intelligentiæ, & conscientiæ fidelium debitè formandæ deserviat. In hac autem re Celladeus non se gessit, sicut decet sedulum & peritum Theologum. Seduli enim & periti Theologi est, sensum Auctorum ex illorum verbis, non ex propria imaginatione contra expressa illorum verba proponere. Deinde ipse est in rebus multùm agitata sensum vocum non immutare, sed eas in usitata significatione accipere, non novas & à communi sensu alienas earum explicationes ex proprio tantùm capite afferre. Demum seduli & periti Theologi est, dum de rebus ad conscientiæ regimen pertinentibus agit, cum omni sinceritate ac claritate procedere, ne ansa æquivocationibus detur, & ex nova ac inusitata vocum consuetarum acceptione minus periti in omnibus titubent, ac de sensu vocum, quas apud Auctores legunt, formident; atque ita demum nil certi habeant, cui inhæreant. At Celladeus omnia contraria hoc loco præstitit. Ergo à munere seduli & periti Theologi deflexit.

32. Hinc sequitur, omnes probabilitatis divisiones à Celladeo factas ruerè, quia in falso fundamento, & suppositione falsissima fundatæ sunt. Nominatim falsum est, quod probabilitas opinionibus tribui solita sit fori exterioris, & secundum

Demonstratio mathematica tollit probabilitatem oppositi.

Auctores alii intelligunt nomen probabilitatis, quam Celladeus.

Celladeus in multis à munere Theologi deficit.

Divisiones probabilitatis à Celladeo factæ non subsistent.

dum dici, non fori conscientia, & secundum esse. Certè probabilitas, opinionibus ab Auctoribus attributa, pro regula conscientia specie dici potest, quòd illa sit probabilitas fori exterioris, non fori interni & pro conscientia? Quid magis ad forum conscientia pertinet, quàm quod ad conscientiam ritè formandam potissimè deservit? Præterea non minùs sed potius plus requiritur in foro externo, ut aliquid admittatur pro tali in foro conscientia: quin forum externum non admittit multa eorum, quibus forum internum maxima ex parte gubernatur. Ergo si forum externum admittat aliquid esse probabile, haud dubiè præsumendum est, quod habeat, quidquid ad veram probabilitatem requiritur. Demum forum externum & internum non differunt, nisi quando forum externum ob falsas præsumptiones ac testes fallaces à veritate aberrat. Hoc locum non habet in casu nostro. Ergo iudicium fori utriusque in hoc puncto idem est. Ergo Celladeus in præsentia materia incongruè distinxit inter hæc duo fora, quia utrumque prorsus coincidit.

remitis nos ad secundum, in quo spondes, te ex proprio Auctorum sensu ostensurum, quod probabilitas conscientia non sit illa, quæ opinionibus tribuitur, quamque benigna sententia pro conscientia regula admittit. Venimus ad secundum librum, & expectavimus, ut promissis stares, Sed frustra; quia nil prorsus hinc ex proprio Auctorum sensu & verbis nobis exhibes, quod tamen te facturum sponderas; sed iterum jubes nos iter remetiri, & ad primum librum regredi, in quo hic dicis, te ex omnium Auctorum gravium sensu illud ipsum ostendisse, atque hoc loco pro indubitato supponere. Itane verò Lectori fucum facis, & in circulum verè vitiosum circumducis? In primo lib. præter Vasquium neminem citasti. Certum autem est, Vasquium intento tuo non favere, sed tibi contradicere, ut *quæst. 16.* demonstratum est. Cum primum librum scriberes, conficius eras, te non sufficienter intentum tutum ex Auctorum verbis ac sensu probasse, & ideo spondidisti, te in secundo libro ampliora allaturum. Sed jam ex libro secundo nos remittis ad primum, nec dubitas dicere, rem ibi planè confectam fuisse, cujus tamen confectioem ad hunc libri secundi locum expressè reservaveras. Sua-deo tibi, in posterum sis cautiôr.

Celladeus ex oblivione facti sibi contradicit.

Probabilitas non transcendit omnes opiniones non notatas.

33. Deinde falsum est, probabilitatem, opinionibus tribui solitam, transcendere omnes & singulas opiniones non notatas. Hoc ex eo probatur, quòd nullus benignæ sententia Auctor id asserat, sed omnes ex opposito expressè profiteantur, multas esse opiniones non notatas, quæ probabiles non sunt, simulque ex requisitis ad veram probabilitatem discernendam regulas tradunt, quibus vera probabilitas à fucata, & opiniones probabiles ab improbabilibus discerni possint.

Probabilitas opinionibus tribui solita est solida, & bene fundata.

34. Verum quidem est, quòd probabilitas conscientia debeat esse probabilitas solida & bene fundata, aliter enim non esset vera sed ficta probabilitas. Verum quod probabilitas ista conscientia diversa sit à probabilitate opinionibus tribui solita, falsissimum est, quamvis Celladeus dicat se lib. 1. ex omnium Auctorum gravium consensu id ipsum ostendisse, atque hic tanquam indubitatum supponere. Necessè enim est, Celladeum, aut oblitum esse eorum quæ dixit in primo libro, aut minus sincerè hoc loco processisse. Hoc ut constet sciendum est, Celladeum lib. 1. *quæst. 9.* conatum esse ostendere, usum benignæ sententia non nisi auctoritate eorum, qui pro illa citantur; eaque occasione inducit Vasquium, qui plura aliorum dicta satis liberè censurat. Hinc arripuit ansam dicendi, probabile opinionibus concessum non esse probabile conscientia, & conatus est persuadere, Vasquium inter hæc duo distinxisse. Sed prorsus infeliciter, quia constat, Vasquium longè aliter & sensisse, & dixisse, ut fusè probatum est hic *quæst. 16.* ubi omnia circa hoc allata clarè refutata sunt. Porro in illa ipsa *quæst. 9. §. 2.* ad clariorem rei probationem remittit se ad librum secundum, ubi pollicetur, se clarè ostensurum ex proprio Auctorum benignæ sententia sensu, quod probabile, opinionibus tribui solitum, non sit probabile conscientia. At cum ventum est ad librum secundum, ibi nil tradit de proprio Auctorum sensu ex illorum verbis, sed ex imaginationibus hic allatis, & illationibus malè fundatis, miram, novam, ac apertè falsam probabilitatis definitionem proponit, quam ut ostendat esse legitimam, remittit se ad primum locum, ubi dicit: Se ex omnium Auctorum gravium sensu ostendisse, quòd probabilitas longè solidior, quàm quæ opinionibus tribui solet, ad conscientiam debite formandam requiratur. Quid agis Celladee? ex primo libro

ASSERTIO V.

Celladeus inconsequenter egit, rejiciendo usum opinionis probabilioris, è quòd probabile dari possit contra certum.

35. PROBATUR. Et quidem nullum dubium est, quin in hac *quæst.* omnem probabilitatem etiam majorem, ut insufficientem conscientia regulam rejiciat, cum expressè dicat, eandem esse rationem de opinione probabilior ac de aliis, ideoque eos redarguit, qui per partem probabilior omnia salvare conantur. Itaque censet omnem probabilitatem, etiam majorem, ex vi discursus in hac *quæst.* propositi esse repellendam. At hoc inconsequenter dictum est; quia quamvis probabile dari possit contra oppositum certum & evidens, adhuc perspicuum est, probabilius non habere locum contra certum & evidens; quia unicuique sua opinio est probabilior opposita. Ergo si quis habeat unam partem pro certa & evidente, impossibile est, quod pars opposita sit ipsi probabilior. Quod adeo perspicuum est, & omnium sensu comprobatum, ut à nemine terminos penetrante negari possit. Ergo quamvis sequeretur, usum probabilitatis minoris non esse licitum, quia illa datur contra certum & evidens, contra quod ex omnium sententia non licet operari, non tamen inde sequitur, usum majoris probabilitatis non esse licitum, quia ex tali usu licito non sequitur, quod operari liceat contra certum & evidens. Ergo Celladeus inconsequenter d scurit, dum omnem probabilitatem & nominatim majorem ex argumento in hac *quæst.* proposito rejicit ut insufficientem.

Celladeus inconsequentia arguitur.

36. Dices. Opinio aliqua potest esse communissima ob turbam Doctorum, & tamen ratio opposita sententia potest esse concludens. Rursus major potest esse impunita opinionis falsa, quàm contraria certæ & evidens. In his casibus opinio falsa est prebabilior, quàm opposita certa & evidens. Ita Celladeus in *sine questionis*, quia videtur adiecisse, quia implicite saltem advertebat,

tebat, inconsequentiam hic explicatam illi obijci potuiffic.

Non omnis opinio communior est probabilior. Respondeo non omnem opinionem communior esse probabilior, sed illud demum cuique probabilior est, quod ipsi magis probatur. Itaque ex hoc capite certum est, probabilior dari non posse contra oppositum evidens. Rursus quamvis Celladeam probabilitatis definitioni insistamus, non apparet quomodo maior sit impunitas legalis pro parte falsa, quam pro parte contraria certa & evidenti. Quis enim legitimus iudex unquam censuravit aut prohibuit editionem ac defensionem sententiarum certarum & evi-

dentis, ut sic faveret opinioni certo & evidenter falsae, illique impunitatem tribueret, quam sententiarum evidenter verarum negavit? Nonne qui ita faceret, eo ipso nulliter faceret, quia limites suae facultatis excederet? Si nulliter ageret, talis impunitas, etsi concederetur (quae tamen, nisi fallor, nunquam concessa est, nec Celladeus ostendere potest casum, in quo concessa fuerit) eo ipso nulla esset, quia esset certo illegalis. Ergo probabilior repugnat cum contrario certo & evidenti, etiam juxta falsissimam probabilitatis definitionem, à Celladeo traditam. Ergo inconsequenter locutus est.

QUAESTIO VIGESIMA- SEPTIMA.

*An & quomodo opinio, quae erat probabilis, evadat
improbabilis?*

PROPRIO quaestione hanc sub istis terminis, ut ea examinem, quae Celladeus tradit lib. 2. quaest. 6. ea enim omnia majorem ad hunc quam ad ullum alium titulum respectum habere videntur. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

*Opinio ex probabili evadere potest improba-
bilis. Propositum autem sit modum ostendere, quo probabilitas desinit.*

Probabilitas desinere potest, & modus, quo desinit, explicatur.

ASSERTIO est certissima, & in ea omnes conveniunt. Ratio est, quia probabilitas desinit, quoties ipsius constitutiva tolluntur. At illa tolli possunt, constitutiva enim probabilitatis multa sunt: primò requiritur ratio vehementer sollicitans intellectum ad assensum, quae proinde sit magna non solum absolute, sed etiam respectivè ad omnia, quae post debitam diligentiam afferri possunt in contrarium. Secundò requiritur, ne quid certi in contrarium afferatur. De istis aliisque probabilitatis constitutivis fusè egit qq. 2. 3. 5. & 6. de Consc. prob. ubi omnia ad hanc materiam spectantia declarata sunt. Jam hæc omnia auferri possunt. Inprimis ratio evidenter solvi potest. Deinde etsi evidenter non solvatur, possunt tot rationes in contrarium afferri, ut prior illa vigorem suum perdat. Tertio, potest aliquid certum in contrarium afferri de novo, idque dupliciter, primò si demonstratio oppositi de novo reperitur. Secundò si Ecclesia declaret oppositum, aut expressè prohibeat rem, quae antea censebatur probabilis. In his casibus constitutiva probabilitatis tolluntur. Ergo probabilitas cessare potest. Cessat autem, sive omnia, sive aliqua tantum illorum auferantur, quia omnia collectivè sumpta sunt ipsi essentialia, sicut anima corpus & unio sunt essentialia homini. Ergo opinio, quae erat probabilis, evadere potest improba- bilis, & modus, quo opinio suam probabilitatem perdit, ostensus est.

3. Hinc apparet, Celladeum frustra carpere Theologum quendam, ut vocat, primarium, eò quòd ille diceret, se nescire quomodo Pontifex efficere posset, ut opinio hoc anno probabilis fieret improbabilis anno sequenti, quamvis carperet, quomodo idem Pontifex efficere posset, ut aliquid sit de fide, quòd antea non erat. Frustra, inquam, hunc hominem carpit, non enim adeo imperitus esse potuit primarius ille Theologus, ut diceret, oppositum dogmatis ab Ecclesia definiti manere probabile, quia per hoc ipsum apparet certitudo in contrarium, & consequenter probabilitas in omnium nostrum sententia desinit. Ergo ille Theologus bene intelligebat, quomodo Pontifex simpliciter tollere posset probabilitatem ab opinione. Aliud ergo, nisi fallor, non dicebat, quàm quod impossibile sit probabilitatem deperdi, quamdiu omnia ejus constitutiva manent immutata; quod procul dubio verum est: nec Pontifex, illis immutatis, efficere poterit, ut probabilitas, utpote ab illis indistincta, non remaneat; quod verum est. Quod si aliud dixerit, afferantur determinata ejus verba, & tunc illum rejiciam, si, quod non credo, tam absurdè locutus sit, ut Celladeus insinuat.

4. Equivocat etiam Celladeus, dum sic arguit pro illo Theologo. Pontifex non potest facere ut hoc anno non sit recta morum regula, quae arguit, ut si hoc anno praterito erat recta morum regula. At opinio probabilis hoc anno est recta morum regula. Ergo Pontifex non potest efficere, ut anno sequenti sit improbabilis. Probat majorem primò à simili, exemplo regularum extrinsecarum; efficere enim nequit Pontifex, ut horologium vel ulna, quae hoc anno sunt rectae mensurae, non sint rectae anno sequenti. Ergo idem in casu praesenti. Deinde probat eandem majorem à priori, quia probabilitas non est minus intrinseca opinioni probabilis, quàm veritas opinionis verae. Ergo sicut nemo efficere potest, ut opinio vera hoc anno evadat falsa anno sequenti, nisi objectum varietur, ita nil variando de rationibus & fundamentis opinionis, nemo efficere potest, ut evadat

Celladeum frustra carpit Theologum quendam.

Celladeus equivocat arguit, ut si hoc anno praterito erat recta morum regula.